Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25944
Copyright: Admont, Benediktinerstift

est recompensatione declinata. Abraham quoque loquens ad pueros suos. Sedete
hic cum asino, ego et puer illuc usque transibimus, et cum adorauerimus reuertemur ad
uos. Licet aliud se facturum deliberaret, tamen excusatur a mendacio. Unde Ambrosius
in libro de patriarchis. Prophetauit quod ignorabat. Ipse solus disponebat redire
immolato filio, sed dominus per os eius locutus est quod parabat. Cautiose autem loquebatur
cum seruulis, ne cognito negotio, aut impediret eum aliquis, aut gemitu
obstreperet aut fletu. Quandoque aliquid iubendo significamus fieri uel-
le quod fieri tamen nolumus, sed experimentum obedientie querimus, sicut Abraham a deo
temptatus legitur, cum iussus est immolare filium, quem dominus nolebat ab eo occidi.
Unde in eodem libro idem Ambrosius. Non enim uolebat deus a patre immolari filium
suum, nec impleri hoc munus uolebat, qui ouem pro filio immolandam obtulit.
sed temptabat affectum patris, si dei precepta preferret filio. Et infra. Non
mittas inquit manum in puerum, neque facias illi quicquam. Affectum tuum inquisiui,
non factum tuum exegi. Temptaui mentem tuam, si et filio dilectissimo non parceres
propter me. Non aufero quod donaui, nec recedere in deo quod largitus sum non habenti.
Item Ieronimus. Simulatio utilis est, et in tempore assumenda.
Utilem simulationem et in tempore assumendam. Iehu regis Israel nos doceat exem- J. e. q. iiii. Q. iii.
plum, qui non potuisset interficere sacerdotes Baal, nisi finxisset se uelle ydolum
colere dicens. Congregate mihi omnes sacerdotes Baal. Achab seruiuit ei in pau-
cis, ego seruiam ei in multis. Et Dauid qui mutauit faciem suam coram Achis
et dimisit eum et abiit. Nec mirum quamuis iustos homines tamen aliqua simulare pro
tempore, ob suam et aliorum salutem, cum ipse dominus noster non habens peccatum nec carnem pec-
cati, simulationem carnis peccatricis assumpsit, ut condempnans in carne
peccatum nos in se faceret iustitiam dei. Q. IIII. De illicitis iuramentis.
Ambrosius in libro de officiis de Iepthe disserens. Miserabilis inquit neces-
sitas, que soluitur parricidio. Melius est non uouere id quod sibi is cui promittitur nolit
exsolui. Et post paululum. Non semper igitur promissa soluenda sunt omnia. Denique
ipse dominus sicut scriptura indicat, frequenter suam mutat sententiam. Item
ex concilio Toletano. Incommutabilis deus quandoque sua mutat statuta.
Incommutabilis ideoque semper existens dei summa natura, sepe sua in sanctis libris J. xxviii. Q. iii. Ambr.
legitur mutasse promissa, et pro meritis temperasse sententiam. Unde licet sit impassibi- Nouit.